





Pri. 20. num. 7. P. 0. 10.

21

1768, 19.

SPECIMEN
CONTINENS

CAPVT IVRIS CONTROVERSVM
DE

IVRE REVOCANDI
INTEGRAM DONATIONEM
INTER VIVOS INOFFICIOSAM

223

QVOD

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITER. DVISEVRG.
SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE XXIV. SEPTEMBER. ANNO CIOIDCCLXVIII.

PVBLICE DEFENDET


IOHANN DAVID IÜNGER

BVDISS. LVS. SVP.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.







DE
IVRE REVOCANDI
INTEGRAM DONATIONEM INTER
VIVOS INOFFICIOSAM.

§. I.



Donationem inter vivos conventionione perfectum ius transferre in donatarium, ex natura conventionis haud dubitandum videtur. Vera ergo est regula, donatori, perfecta semel donatione, non competere ius reuocandi, vel promissam rem, quo minus postea ad tradendum sit obligatus, vel rem ipsam traditam, quo a donatario reddatur. Quamuis vero haec per se verissima sit regula, tamen quibusdam exceptionibus subuertitur. Sic Patronus ius obtinuit reuocandi donationem liberto suo factam ob superuenientiam liberorum ex Lege Edictali CONSTANTINI et CONSTANTII in *L. 8. C. de reuoc. donat.* Patrono dixi-



diximus: quippe vera legis interpretatio, et qui intercedit inter libertum et Patronum nexus haud permittit, vt, quam Pragmatici singularis beneficii extensionem statuunt atque ad omnes donationes inter viuos porrigunt, approbemus. Ita amplius IUSTINIANVS generali lege ob ingratitude in donatorem commissam reuocandi licentiam concessit. Et ita inter alias exceptiones ea est, qua reuocatio permitta, quod inofficiosa facta fuerat. De hac quantum his plagulis fieri potest breuiter tantum quaedam dicamus, aliorumque sententias examinabimus.

§. II.

Inofficiosam eam dicimus *donationem*, quae tanta fuit, vt, si ea perfecta moreretur parens, liberis ex bonis illis quae liberaliter alienauerat, ne suam quidem sint habituri legitimam. Equidem, cum illa inter viuos facta donatio, viuentisque nulla hereditas, videtur absolum esse, donationem inofficiosam dicere, quasi in legitima laesi liberi, cum legitima portio hereditatis sit, quae viuentis adhuc nulla est. Nihilominus ex ipso Codicis titulo patet, leges in reuocanda ea ad legitimam praecipue respexisse. Et probabile sit, inde errorem enatum, quem et HOTMANN errat, lege Cincia ad dodrantem tantum donare permissum fuisse, quem refutat BRVMMERVS ad *L. Cinciam* c. XII. quamuis improbabile non est, posterioribus temporibus ad dodrantem donationem tantum fuisse comprobata, ex quo iure inofficiosa donatio origines petit, quae ICTIS antiquioribus, quorum capita in Digestis deprehenduntur, parum vel plane non cognita fuit.

§. III.

Occasionem vero inofficiosa donatio inde nata fuisse videtur, quod, cum metuendum esset, si sine probabili causa ex- here-



heredes scriberet testator filios, testamentum postea rescinderetur querela inofficiosi testamenti, sicque intestatus decederet testator, ut ergo id euitaretur, remedium inuentum nonnulli censebant, si inter viuos bona aliis donarent, quo facto si nihil ex bonis superesset, nihil veniret ad liberos, quibus antiquitus deerat remedium, cum testamentum haud adesset, donationes vero inter viuos firmæ atque irreuocabiles essent, quo aliquid ex bonis paternis consequi possent liberi. Patet id ex *L. 1. C. de inoffic. donat.* ex verbis: *Si, ut allegatis, mater vestra ad eludendam inofficiosi querelam, per uniuersas facultates suas, dum ageret in rebus humanis, tactis donationibus siue in quosdam liberos, siue in extraneos, exhausit; caet.*

§. IV.

Ad hanc ergo fraudem infringendam legi factam, quæ liberis legitimam constituit, postea introducta est querela inofficiosæ donationis, qua rescindebatur donatio in fraudem successionis in legitima facta. Argumentum huic iuri introducendo dedit querela inofficiosi testamenti. Hinc VALERIANVS ET GALLIENVS in *L. 2. C. de inoff. donat.* expressè rescribunt: *ad similitudinem inofficiosi testamenti querelæ auxilium tibi aequitatis impertiet.* Porro Imp. DIOCLETIANVS ET MAXIMIANVS in *L. 4. C. eod.* hocce remedium aduersus immodicas donationes vocant *auxilium ad instar inofficiosi testamenti.* Amplius eidem in *L. 6. C. eod.* rescribunt: *De enormitate donationum ad exemplum inofficiosi testamenti præses prouinciae iurisdictionis suæ partes exhibebit.*

§. V.

Reuocabatur ergo ab iis, qui in legitima immodica donatione laesi erant mortuo parente donatore, facta donatio inter



uiuos. Sed circa hoc ius enata est controuersia: *An integra bona reuocanda sint, rescissa videlicet tota donatione: an ea tantum, quae ad legitimam consequendam sufficiant?* Non adscribam omnes autores iuris, qui hanc tractarunt causam, sufficiat quosdam nominasse,

§. VI.

Communis est opinio, reuocanda esse non integra bona, sed ea tantum, quae sufficiunt, vt legitimam accipiant liberi qui immodica donatione laesi fuerant. Defendet hanc opinionem WISENBACHIUS ad *Codic. L. III. Tit. XXIX.* scribens: *Donatio non in solidum rescinditur, sed in portionem legitimam.* Eidem sententiae subscripsit quoque BACHOVIVS ad *Treutler. Vol. II. Disp. XIX. thes. VII. lit. b.* quique variis rationibus hanc communem opinionem stabilire annitus est. e.g. quod alias *L. 3. C. de reuocanda donat.* inutilis esset. 2. quod alias qui partem legitimae haberet rescinderet donationem in solidum et ita facilius resolveretur donatio perfecta, quam vltima voluntas. 3. prouocat ad *L. 3. C. de inoff. donat.*

§. VII.

Contra in solidum donationem reuocandam inter alios censet ANT. FABER. *Coniect. Lib. III. cap. XVII.* et ROEMERYS de *Actionibus Sect. II. Cap. III. §. 43.* qui inde ducunt argumentum pro defendenda sua opinione, quod instar inofficiosi testamenti querela haec inofficiose donationis introducta sit, quod ex capitibus Codicis supra adductis apparet. Inferunt, cum per querelam inofficiosi testamenti integrum testamentum rescindatur, ita et ipsam donationem integram rescindendam esse. Neque quam SCHWENDENDÖRFFERS de *Action. success. p. 261.* causam habet, quod cum personalis sit condi-



condictio ex noua lege instituenda illa querela inofficioſae donationis nequiquam poſſet explicari ex querela inofficioſi teſtamenti, quae iudiciis realibus adnumeranda, cum ſit ſpecies hereditatis petitionis, ſuae opinioni obſtare putat BOEHMERVS, qui recte negat, querelam inofficioſae donationis remedium eſſe personale, ſed vtique ad realia iudicia referendum, et recte, cum vindicantur bona donata contra officium a donatario tanquam poſſeſſore quo eo tanquam heredes conſequantur.

§. VIII.

Si dicendum, quod res eſt, verior mihi videtur Fabri atque Boehmeri opinio. Sicuti enim negari nequit, *ad exemplum querelae inofficioſi teſtamenti* introductam hanc *inofficioſae donationis querelam*, ita recte argumentum ab illa ducatur ad hanc, quoad effectum, cum ad idem efficiendum, quod illa efficiebatur, ſit introducta. Videtur mihi conſicere maxime LEX CONSTANTII A. et IULIANII Caef. in *L. g. C. de inoffic. donat.* Ibi ſcriptum: *Non conuenit dubitari, quod immodicarum donationum omnibus querela ad ſimilitudinem inofficioſi teſtamenti legibus fuerit introducta: vt ſit in hoc actionis vtriuſque vel vna cauſa, vel ſimilis exiſtimanda, vel idem et temporibus et moribus.* Facile patet in h. l. perfecte inter ſe vtraruſque querelas comparatas eſſe, vt recte idem vtriuſque debeat eſſe effectus.

§. IX.

Neque quidquam faciunt argumenta aduerſariorum. Nam quod alias fruſtra lata ſit *L. g. C. de reuoc. donat.* nihil ad noſtram infringendam facit ſententiam. Nam in *L. g.* remedium datur donatori Patrono, qui ipſe a ſe factam donationem reuocat, contra querela inofficioſae donationis non ab ipſo donatore instituenda, ſed ab ipſius donatoris heredibus, quibus ex *L. g. vir.* agendi nullum ius erat. Dein, quod, qui partem haberet legitimae, reſcinderet donationem perfectam faciliſiori modo, quam reſcindi



rescindi posset testamentum, nostrae non obest opinioni. Nam color insaniae atque furoris, qui fundamentum fuerat testamenti inofficiosi querelae, non aequè fundamentum est donationis inofficiosae querelae, quae saltem ad exemplum introducta. Accurate respondet BOEHMERVS de Action. c. l. * distinguendum esse, si reuocetur donatio, tanquam inofficiosa, quod nihil ad liberos peruenerit, qua specie imitatur querelam inofficiosi, et si ad supplementum legitimae tantum agatur hac querela, quod videtur defendi posse ex *L. 1. C. de inoffic. donat.* verb. *non iniuria iuxta formam de inofficioso testamento constitutam subueniri vobis.* caet. Neque exinde sequitur, legitimam tantum petendam, ne valida in totum rescindatur donatio. Quid enim obstabat, si vera haec conclusio, quo minus et filius, cui pater nihil praeter legitimam debebat, querela inofficiosi instituta contentus esse debuisset sua legitima, ne validum testamentum rescindatur; et tamen leges integrum rescindunt testamentum. Neque vllibi legum huius querelae argumentum deducitur ex actione illa suppletoria, sed semper ex inofficiosi testamenti querela, vt verior videatur sententia, in solidum reuocandam esse donationem.

T A N T V M.



ULB Halle

3


005 880 491



VD18







21

Pri. 20. num. 13. P. 0. 10.

1768, 19.

SPECIMEN
CONTINENS
CAPVT IVRIS CONTROVERSVM
DE
IVRE REVOCANDI
INTEGRAM DONATIONEM
INTER VIVOS INOFFICIOSAM
QVOD
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITER. DVISVVRG.
SOCIO
IN AVDITORIO PETRINO
DIE XXIV. SEPTEMBR. ANNO MDCCCLXVIII.
PVBLICE DEFENDET
IOHANN DAVID IÜNGER
EVDISS. LVS. SVF.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

